

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**PROGNOSTICA=||TIO IOANNIS LIECHTENBERGERS, QVAM  
OLIM SCRI-||psit super magna illa Saturni ac Iouis  
coniunctione, quae fuit Anno M.CCCC.||LXXXIII. praeterea  
ad eclipsim Solis anni sequētis uidelicet ...**

**Lichtenberger, Johannes**

**Köln, 1526**

Capvt dodecimvm

[urn:nbn:de:bsz:31-160364](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160364)

te sit longior, Coloniaen. tamen non inferior potestate & merito.

## CAPVT DVODECIMVM



Olonia igitur superiorem tenet partem baculi quia Coloniaensis Episcopus non solum Romanorum regem eligere habet, sed electum pre omnibus alijs principibus tenetur & debet consecrare. In hoc Romani pontificis praecurrens officium, qui regem electum Canonice in Imperatorem consecrat Romanorum. Manifestum est ergo quod non solum humana solertia ex necessarijs & rationabilibus causis fuit institutum, immo diuina praefiguratione praesignatum. sed de hoc non est uobis gloriandum. Sed quantum uos ostenditis reprehensibiles, tanto magis uos ab Imperatoris obsequio facitis alienos. Quid Esaiæ dicit. xxij. audiat. Haec dicit dominus exercituum, Vade, & ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo ad Sobnam praepositum templi, & dices ei, Quid tu hic? aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum. excidisti tibi in excelso memoriale, diligenter in Petra tabernaculum tibi. Ecce dominus asportari te faciet sicut asportatur gallus gallinacius. Heu si amicitia non est inter uos fratres, quomodo erit inter extraneos? Tempus adest, quod heu mala plura inaudita circumquaque euestigio surgere debent.

## CAPVT TREDECIMVM.



Viri prudentissimi sub baculo sancti Petri attendite quæso. Reynhardus Lolhardus in quadam uisione ita uidens tribulationes cleri in ecclesia sancti Petri, prorupit in hæc uerba. Post hoc certabant duo fratres, habentes unum baculum in ambabus manibus, unus rubeam crucem inferius gestabat, alter nigram crucem superius, & totus clerus tristabatur. Accesserunt lupus & ursus rapientes baculum, steterunt fratres contristati, timendum quod tempus adsit, Datur intelligi, quo-

F ij